



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1782**

**VD18 90119266**

§. 59. Marcelli Durazzo Cardinalis obitus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. febrin, die vigesima secunda ejusdem  
 A. C. 1710. Mensis non sine maximo omnium luctu  
 anno ætatis suæ septuagesimo primo  
 vivis ereptus est.

## §. LIX.

*Marcelli Durazzo Cardinalis obitus*

Sequentis Mensis die vigesima septima  
 Faventiæ decessit Marcellus Durazzo  
 patria Genuensis, qui Perusii in  
 utriusque Jurisprudentiæ studio ex-  
 mios Doctorum honores promeritus Ro-  
 mam venit, ubi ab Alexandro VII.  
 Proto - Notarius Apostolicus, Bono-  
 niensis Pro - Legatus, plurimumque Ur-  
 bium Gubernator, Lauretanæ Domus  
 Visitator, ac demum Avenionensis Le-  
 gatus renuntiabatur, in qua legatione  
 tanta usus est prudentia, ut ferventibus  
 licet Papam inter & Galliæ Regem dis-  
 fidiis amplissimam tamen utriusque  
 partis existimationem sibi compararet.  
 quocirca a Clemente X. Chalcedonensis  
 Archiepiscopus in Lusitaniam Nuntius  
 Apostolicus decernebatur, ubi suæ in-  
 tegræ, magnanimitatisque tot lo-  
 culenta edidit specimina, ut a Rege  
 ad pinquissimam Eborensem Ecclesiam  
 Archiepiscopalem unacum annua duo-  
 rum millium aureorum pensione nomi-  
 naretur, utrumque tamen ipse gene-  
 rosè

rose respuens, ac Lusitana legatione Sæc. XVIII.  
 defunctus, Madritum Legatus Apostoli- A. C. 1710.  
 cus mittebatur, anno autem sequenti  
 Cardinalis, & primo Carpentoraecten-  
 sis, postea Spoletanus, ac demum Fa-  
 ventinus Episcopus renuntiabatur: Mor-  
 tuo Innocentio XII. Sacris interfuit co-  
 mitiis, in quibus, cum præclaræ ejus  
 dotes omnibus perspectæ essent, ac in-  
 super scientiarum ubertate, idioma-  
 tum peritia, integritatis, pietatisque  
 fama, morumque comitate ac pruden-  
 tia Cæsareas, Gallicas, Hispanas, Lu-  
 sitanasque partes sibi soli conciliaverat,  
 parum abfuit, quin renuntiaretur ipse  
 summus Pontifex, obsistit tamen e-  
 mentitum suæ patriæ, & falso impu-  
 tatæ avaritiæ, & parsimoniæ vitium,  
 & quamvis ingentem pecuniarum vim  
 in pauperes varias Ecclesias, & præ-  
 cipue in Faventinam liberali manu pro-  
 digeret, ejus tamen æmuli aculeato  
 hoc carmine ipsius famam laceßere non  
 dubitarunt:

Crine ruber, patria recutitus (\*),  
 lumine læsus.

Ter malus: ergo ter optimus  
 esse nequit.

R 2

Tan-

(\*) Genuenses indigno prorsus sarcasmo *civ-  
 cumcisi Christiani* propter commercii a-  
 viditatem, & avaritiam appellitantur.

Sæc. XVIII. Tandem Marcellus Ravennæ Legatus a Clemente XI. nominatus summa fide, prudentia, studioque tantum muneris partes adimplevit, simulque decus Ecclesiasticum, summique Pontificis jura constanti fortique animo sustinuit, donec a sua Legatione Faventiam reversus, anno ætatis suæ septuagesimo septimo meritorum coronam in cælis adipisceretur.

## §. LX.

*Vincentii Grimani Veneti decessus  
& fata.*

*Guarnac.  
Vit. Card.*

Fatali etiam mortis necessitati hoc anno cessit Vincentius Grimanus origine Venetus, & patria Mantuanus. Hic emenso studiorum cursu Lucadifensis Abbas in Sabaudiam secessit, ubi Leopoldo Cæsari apprime addictus Ducem a Gallicis ad Cæsareas partes reduxit: inde Mediolanum delatus dum Eugenium Principem salutaturus equo suo descenderet, bis plumbea glande innoxie petebatur, & quamvis hujus sceleris Author haud detegeretur, nemini tamen dubium erat, Grimano eo quod Gallicum aurum respuisset, Gallicum plumbum fuisse obtrusum: Hoc tamen periculo defunctus, Viennam secessit, ubi Cæsaris quidem gratiam